



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

V. Quid sit objectum sensibile, & an detur objectum sensibile Commune?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)

tialiter recipiendam? nam plus perfectionis requiritur ad agendum, quam ad patiendum, ut patet ex materia 1a, ergo, &c.

xxvii. Obijcies 1º, ex P. Oviedo: anima rationalis non potest esse adæquatum subjectum ullius formæ materialis, ac per consequens, nec sensationis, ergo nec inadæquatum seu parziale: Probatur consequentia; quia ideo non potest esse adæquatum; quia inter rem spirituales & materialem est improprio; sed eadem improprio remanet respectu subjecti adæquati; ergo, &c.

xxviii. Respondeo 1º, retorquendo argumentum in accidens & phantasma; accidens non potest esse adæquatum principium substantiæ, phantasma principium adæquatum speciei intellectualis spiritualis; quia inter accidens & substantiam, inter phantasma materiale & speciem spirituales est improprio; sed eadem improprio remanet respectu principii inadæquati, ergo, &c. consequentia hæc est contra ipsummet Oviedum Physicæ controversia 9. puncto 4. pro accidente: Pro phantasmate verò de Anima controversia 1. puncto 5. ubi dicit illa posse esse principia inadæquata, non obstante suâ improprio; ergo & hic idem in principio passivo, non obstante suâ improprio, admittere debet. Vnde

xxix. Respondeo 2º, concessio antecedente negando consequentiam ad ejus probationem distinguo; ideo non potest esse adæquatum, quia inter rem spirituales & materialem est improprio subjecti adæquati ad formam, concedo, subjecti inadæquati, nego: sicut enim inter causam & effectum potest esse improprio causæ adæquatæ & proportio causæ inadæquatæ, ita inter subjectum & formam potest esse improprio subjecti adæquati, & proportio subjecti inadæquati.

xl. Obijcies 2º, sensatio non distinguitur à speciebus impressis, vel saltem (si realiter distinguatur) ab illis loco organi producit; ergo, &c.

xli. Respondeo negando antecedens pro 1ª parte, quia quantum experimur, qui dormiunt oculis apertis, ut lepores, vel qui vehementi distractione oculis apertis detinentur, habent species impressas, non tamen visionem, ergo visio ab illis distinguitur, nec ab illis realiter distinctis producit.

D V B I V M V.

Quid sit objectum sensibile & an detur objectum sensibile commune?

R E S O L U T I O I.

xl. Dico 1º, objectum sensibile est illud, quod aliquo sensu percipitur; vel ratione sui, ut color respectu visus, sapor respectu gustus; vel ratione qualitatis superadditæ, ut paries respectu coloris, pomum ratione saporis; vel ex comparatione diversarum sensationum inter se, ut motus respectu sensus interni; de quo statim fusius.

R E S O L U T I O II.

Nte hanc Resolutionem
xlii. Suppono 1º, esse apud omnes certum dari sensibile proprium, id est, objectum, quod ratione sui unicum objectum movere potest ut color visum, sonus auditum, &c. de quo dubiis sequentibus.

xlii. Suppono 2º, per sensibile commune hic intelligi objectum ratione sui, sive secundum se im-

mediate, à duobus saltem, aut pluribus sensibus externis percipibile; non verò objectum sensus communis, quia omnibus certum est illud dari.

xlv. Dixi à duobus saltem aut pluribus sensibus, quia certum est quinque sensibilia communia ab Aristotele enumerata, quæ sunt figura, magnitudo, numerus, motus, quies, non esse ab omnibus sensibus externis percipibilia; nam figura, nec auditu, nec odoratu percipitur; nec quies ab illis, vel ab ullo alio sensu externo, sive sumatur pro negatione motus, sive pro permanentia in esse, prout importat fuisse in eodem loco, quorum alterutro modo sumi debet, percipitur. His suppositis,

xlvi. Dico 2º, non datur sensibile commune ratione sui, sive secundum se immediate, à duobus saltem, aut pluribus sensibus externis percipibile.

xlvii. Probatur, quia, vel illud percipetur per speciem propriam, ut vult Scotus, Egidius, Iandunus, vel per alienam & sensibilibus proprii, sed modificatam à sensibili communi, ita ut ipsum simul etiam repræsentet, ut docent Thomistæ, Bannes, Mursia, Conimb. Suarez, & plures alii, quos reipsa sequuntur Oviedus, Arriaga, Poncius & nuperrimè D. Fromondus de Anima lib. 3. cap. 2º. art. 2º. negantes aliud sensibile commune præter præsentiam objecti, sive ubicationem, & docentes hanc à visu & auditu simul cum objecto, in quo est, percipi: sed neutrum dici potest, ergo, &c. Probatur minor pro 1ª parte; quia non datur species propria sensibilibus communis, ergo, &c. Probatur hoc antecedens 1º, quia alioqui non est cur sicut in vehementi distractione quandoque videtur aliquis color sine figura, quandoque etiam non videretur figura sine colore aliquo, contra experientiam & rationem. 2º sicut videns potest intra colorem ita constitui, ut illius extremitates & figuram non videat, ita posset constitui intra figuram ut illius colorem non videret, hoc iterum est contra experientiam & rationem: cur enim hoc, non verò illud, nisi quia figura non habet speciem propriam, bene autem color? 3º figura non distinguitur realiter à sit, situs verò ab ubi; sed ubi non datur species propria, quia alioqui contra Copernicum non dubitarem, an terra moveretur, aut an idem in eodem loco vertendo se motum esset; an sit idem & non omnino simile in locum prioris suffectum, &c. item navi inclusi non dubitarem de motu aut quiete navis, contra experientiam. 4º esset alia species conservationis rei, (si haberent species:) Sed dubitant Philosophi, an ubi sit distinctum realiter à conservatione rei, an indistinctum, ergo non datur species propria ubi: alioqui de eo non dubitaretur, nisi velis visum habere etiam speciem propriam conservationis, quod nullus huc usque dixit; quia alioqui ad oculum pateret conservationem realiter distingui à causa conservante, & re conservata, quod nullus admiserit.

xlviii. Adde quòd aliqui dubitent an ubi sit realiter distinctum à negatione motus localis, quæ cum admittere non possit species, clarum est, nequidem ubi illas emittere, alioqui illud dubium esset, contra visum quod nemo dixit.

xlix. 5º. Datur species sensibilibus proprii separata à specie sensibilibus communis (ut constat ex statim præmissis) & numquam datur species sensibilibus communis, saltem attendendo ad ubi & numerum, sine specie sensibilibus proprii, ergo verisimilius est hoc habere speciem propriam, & illud non habere: alioqui similiter dicerem conservationem, durationem,

nem, (si distincta) & hæcceitates, etiam habere propriam speciem, quod unanimiter negant adversarii.

L. Adde nullam esse necessitatem admittendi species proprias sensibilis communis, imò esse inutiles, ut constat ex confirmatione secundæ partis.

LI. Probatur minor pro 2^a parte; quia non datur modificatio propriæ speciei sensibilis proprii, ergo, &c. Probatur antecedens 1^o ut ante, quia alioqui non esset, cur sicut in vehementi distractione quandoque videtur aliquis sine figura modificante, ita quandoque etiam non videretur figura modificans sine aliquo colore.

LII. Nec dicas modificatum posse separari à modificante, non verò modificans à modificato: Quia, vel est idem specie modificans objectum visus & auditus secundum te; vel non? si sic, est separabile à modificato; quia dum modificat objectum visus v. g. præsentia colorem, non modificat objectum auditus v. g. similis præsentia sonum: si non, ergo non est idem sensibile commune, quia nequidè modificans est cōmune multis sensibus externis.

LIII. Probatur antecedens 2^o vel modificans est per se & secundum se separatum à sensibili proprio, vel non? non primum, quia alioqui haberet speciem propriam, quod statim impugnatum est: neque secundum, quia alioqui non aliter esset sensibile, quàm quia inseparabiliter conjunctum cum sensibili proprio, & consequenter, quàm substantia, aut quàm conservatio rei, duratio, &c. ac proinde non esset sensibile commune per se, sed per accidens, ut contendimus.

Huc etiam confer alias probationes allatas pro probatione minoris pro 1^a parte, mutando ly *species* in ly *modificatio*, dum est mentio speciei sensibilis communis.

LIV. Confirmatur 1^o, vel *ubi* est ultima determinatio ipsius speciei sensibilis proprii ut per ipsam *ut quo* sentiat, vel non? si non, debet per aliud ad hoc determinari, & hoc aliud per aliud, & sic in infinitum: si sic, tam deberet esse ultima determinatio ipsius speciei sensibilis proprii ut per ipsam *ut quo* sentiat secundum quod dat præsentiam, distantiam, dextrum, sinistrum, sursum, deorsum, &c. quàm secundum quod dicitur esse in loco; quia omnia illa æquè *ubi* identificantur; sed non est ultima determinatio ut per speciem sensibilis proprii sentiat, secundum quod dat præsentiam, distantiam, &c. quia sæpius videmus objectum, & non videmus esse præsens omni corpori, cui præsens est; uti nec esse distans ab omni corpore cui distans est; ergo nullo modo est ultima determinatio ipsius speciei sensibilis proprii, ut per ipsam *ut quo* sentiat.

LV. Confirmatur 2^o, illa modificatio est omnino superflua & inutilis, ergo, &c. Probatur antecedens, sine ipsa habetur sensibile proprium ut sensibile proprium (ut omnes fateri debent,) & per illam non habetur sensibile commune ut commune, propter quod à suis auctoribus defenditur. Probatur hæc ultima pars assumpti; quia nec per illam separatam à specie sensibilis proprii habetur sensibile commune, ut statim ostensum est; nec per illam ut conjunctam speciei sensibilis proprii, quia conjuncta cū albedine non potest facere objectum auditus, aut alterius sensus, quàm visus, ut patet, ergo, &c. Hinc

LVI. Patet, quid dicendum sit de aliis sensibilibus communibus, quia fundantur in *ubi*, vel important negationem aliquam, ut motus, desertionem termini à quo; quies negationem motus; numerus

negationem conjunctionis; parvitas absentiam partium aliarum; & idem est de figura; negatio autem, nec emittit speciem positivam nec positivè speciem proprii sensibilis modificare potest.

LVII. Objicies 1^o, auctoritatem Aristotelis, & jam receptam omnium Philosophorum doctrinam, admittentium sensibile commune.

LVIII. Respondeo Aristotelem non admittere sensibile per se & ratione sui diversis sensibus externis commune; sed tantum per se, & ratione sui commune diversis objectis sensibilibus propriis: nam ut constat ex quinque sensibilibus communibus, quæ enumerat Aristoteles, sunt quidem per se & ratione sui communi diversis objectis sensibilibus propriis, non verò diversis sensibus externis; quia alioqui, cum juxta hos auctores per eandem speciem sensus externus feratur in sensibile commune & proprium, non posset magis sensus externus errare circa sensibile commune, quàm circa proprium, quod expresse negat hic l. 2^o. Aristoteles.

LIX. Adde quòd, nec ipse, nec alii Philosophi aliter juxta rectam rationem loqui possint, ut constat ex probationibus Resolutionis.

LX. Objicies 2^o, ex Murcia, color v. g. non percipitur in abstracto, sed prout hic & nunc jacet à parte rei, cum tali vel tali præsentia locali, ita ut color & præsentia talis sint unum objectum per speciem representatum: Ergo, &c.

LXI. Respondeo 1^o, retorquendo argumentum in durationem distinctam in sententia ipsorum, conservationem; hæcceitates, &c. Item in distantiam à cæteris corporibus, præsentiam dextram vel sinistram illis, quibus præsens est; tam enim jacet à parte rei cum illis, quàm cum præsentia locali; & tamen secundum omnes color & illa non sunt unum objectum per speciem representatum.

LXII. Respondeo 2^o, negando antecedens, cujus falsitas satis declaratur ex præmissis.

LXIII. Instabis ex Attriaga & Oviedo post ipsum, si visus non perciperet ubicationem sui objecti, sed tantum entitatem coloris; non illum cognosceret ad hoc latus, potius quàm ad illud; sursum potius, quàm deorsum; in hac vel illa distantia, &c. sed præcisè apprehenderet albedinem, sicut apprehendimus Turcam aut Angelum, præcisè abstrahendo à loco? Hoc autem est aperte falsum & contra experientiam, ergo, &c.

LXIV. Respondeo 1^o, retorquendo argumentum: si tactus, gustus & olfactus non perciperent ubicationem sui objecti, sed tantum entitatem, non illud cognoscerent ad hoc latus, potius quàm ad illud, &c. sed præcisè apprehenderent entitatem sui objecti, sicut apprehenderent Turcam, Angelum, &c. abstrahendo præcisè à loco: hoc autem est aperte falsum & contra experientiam; admittere verò *ubi* esse objectum quinque sensuum, est ridiculum; quia consequenter dicendum esset gustum, auditum, olfactum, &c. percipere figuram sui objecti, quia illa ab *ubi* non distinguitur realiter; id verò est contra omnem experientiam.

LXV. Respondeo 2^o, negando assumptum; quòd enim albedo cognoscatur potius esse ad hoc latus, quàm ad illud, sursum potius quàm deorsum, in hac vel illa distantia, non provenit à visu, sed ab intellectu aut sensu communi, per diversas sensationes ex diversis speciebus aliter atque aliter in oculo incidentibus v. g. ex hoc latere potius quàm ex illo, de sursum potius quàm deorsum ex tali vel tali loco

loco distanti (quo enim magis distat objectum, eo minus species feriunt potentiam) inter se comparante; vel etiam diversas pupillarum inter se divaricationes, quæ sunt majores vel minores pro majori vel minori objectorum inter se distantia; ad hanc intellectus seu sensus communis comparationem, communiter refugium etiam ipsi adversarii, ut quando dubitant, an Petrus, verbi gratia tale objectum viderit, talem pulsus audiverit, &c. conferunt enim per intellectum, vel per sensum communem dispositionem præsentem corporis, oculorum, & aurium ipsius Petri, cum ea dispositione corporis, oculorum, aurium, &c. quam habere solet, dum videt & audit, & ex illa collatione cognoscunt visionem & auditionem Petri, quæ tamen in se & ratione sui non emittit speciem visualem aut audibilem, nec modificat speciem sensibilis proprii, quia ad extra nihil agit.

LXVI. Vergebis, si simul cum entitate coloris non videatur ubi coloris, ut quid boves pontem transcurrentes in aqua repræsentantur cum dorso cælo affixo & pedibus in aëre, & sic progredi?

LXVII. Respondeo, quia simul cum specie bovis in aqua habemus speciem cælorum, & sensus communis per collationem illarum inter se cognoscit boves habere dorsum versus cælum.

LXVIII. Obijcies 3^a, nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu: atqui intelligimus omnia sensibilia communia ab Aristotele allata; ergo, &c.

LXIX. Respondeo distinguendo majorem, nihil est in intellectu, quod prius secundum se & ratione sui, non fuerit in sensu (scilicet externo) nego majorem: negationes enim & entia rationis sunt in intellectu, secundum se tamen, & ratione sui, nunquam fuerunt in sensu externo: secundum aliud & ratione ejus, quod præbet occasionem intellectui aliud ex ipso sensato inferendi, concedo majorem: unde dic nihil esse in intellectu quod prius non fuerit in sensu externo ipsum occasionante, bene autem quod prius non fuerit in sensu externo ipsum sentiente; quod clare insinuat D. Thomas 1. p. q. 84. art. 7^o. *Aliis etiam incorporeis substantiis, in statu præsentis vite cognoscere non possumus nisi per remotionem, vel aliquam comparationem ad corporalia: & ideo cum de hujusmodi aliquid intelligimus, necesse habemus converti ad phantasmatum corporum, licet (nota) ipsorum non sint phantasmatum.*

LXX. Adde quod major alio modo distingui possit, scilicet, nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu externo vel interno occasionante, concedo, externo nego; cum enim sensus internus sit supra sensationes externas reflexivus & earum inter se comparativus, potest ex illis aliquid colligere & inferre, quod postmodum potest intellectus cognoscere & inde aliud, illud autem collectum & illatum secundum se & ratione sui non fuit in sensu externo sentiente, sed occasionante tantum, quomodo lubenter admittimus nihil esse in intellectu, quod prius non fuerit in sensu.

LXXI. Obijcies 4^o, ridiculum est me non videre Petrum currentem, quod sequitur ex nostra Resolutione, ut quid enim vacæ in pratis & oves in campis currunt post invicem, nisi quia vident priores currentes?

LXXII. Respondeo ridiculum non esse, non videre quod est invisibile, ut est cursus; distinguo tamen assumptum, ridiculum est me non videre Petrum currentem materialiter & secundum se, con-

cedo: formaliter & secundum cursum, nego assumptum, quia ille invisibilis est, sensibilis tamen: unde dum video materialiter currentem, sensus internus ex comparatione diversarum sensationum à diversis speciebus aliter atque aliter in oculum incidentibus causatarum sentit Petrum currere; & sic est de vaccis & ovibus, ex quo moventur ad similiter currendum.

D V B I U M VI.

An sensus externi circa proprium objectum falli possint?

ANte Resolutionem LXIII. Suppono falsitatem hanc non proprie sumi prout est falsitas compositionis; sed improprie, prout est repræsentatio objecti aliter quam sit; clara enim est sensum non posse falli primo modo, quia talis falsitas est propositionalis. Hoc supposito, sic

R E S O L U T I O I.

LXXIV. **D**ico 1^o, sensus externus circa rationem communem proprii sensibilis falli non potest.

LXXV. Probatur, quia quidquid percipit auditus, sonus est; quidquid visus color, quidquid gustus, sapor, &c. ergo, &c. Probatur antecedens, quia alioqui ferretur extra latitudinem sui objecti, quod repugnat; Ergo, &c.

LXXVI. Confirmatur ex Aristotele qui hic dicit sensum externum circa sensibile proprium non errare, bene autem circa sensibile commune, id est, sensus externus, visus v. g. circa colorem quæ color est, errare non potest, bene autem circa objectum quod est commune pluribus sensibus, ut ubi, duratio, &c. quia horum species non habet.

LXXVII. Dices forte Aristotelem commodius hoc modo intelligi, *Circa sensibile proprium particulare*, id est, quod uni soli sensui est proportionatum, non errare; *Bene autem circa sensibile commune*, id est, quod pluribus sensibus est proportionatum. Nam ut docet Fromondus de Anima lib. 3. cap. 2. art. 3. in sensus quoque errores quidam cadunt, ut cum remus in aqua inflexus videtur, qui in aëre & oculis & tactu deprehenditur esse rectus: Item cum in collo columbæ ad solem inflexo, varii apparent colores, sive in lumine solis, sive in diversis plumulis varietas ista depicta sit; Ergo, &c.

LXXVIII. Respondeo Aristotelem ibi non accipere sensibile proprium prout est uni tantum sensui proportionatum; alioqui manifeste falsum diceret: quia manifestum est sensum interdum circa sensibile proprium in particulari v. g. circa hujus speciei colorem, errare: sensibile autem commune ab eodem non accipi prout est plurimum sensuum; patet ex dubio præcedenti.

LXXIX. Ad exempla autem Doctoris Fromondii Respondeo sensum ibi non errare, circa sensibile proprium, aut commune sibi & alteri sensui externo; sed circa sensibile sensui interno proprium prout est dicta remi inflexio in aqua, & apparentes illi colores in columbæ collo, aut Inde: unde etiam pro nobis faciunt.

R E S O L U T I O II.

LXXX. **D**ico 2^o, sensus externus per se etiam falli non potest circa rationem particularem sensibilis proprii, per accidens potest, v. g. si sensibile nimium distet; ob distantiam enim non satis distinguimus inter ceruleum & viride, &c. Item si medium